

AUCTARIUM

ONCIO I.

VARII MODI COELUM ACQUIRENDI.

I. Labora pro cælo. — II. Eme illud. — III. Furare, si non potes aliter acquirere. — IV. Rape id per vim. — V. Mendica illud.

THEMA.

Magister, quid faciendo vitam æternam possidebo?
Luc. X.

Non dubito, auditores, pari vos teneri sciendi desiderio, quo tentus legisperitus fuit: qua nimirum ratione comparari regnum cælorum queat. Et quidem Christus Dominus conditionem unam præscribit legisperito, sed generalem, nimirum charitatem Dei et proximi: possumus vero alias assignare particulares, et quidem plures, quæ tamen in charitate omnes fundantur. Earum aliquas depromit S. Bernardus, in sententiis, dum ait alios cælum violenter rapere, velut qui relictiis omnibus Christum sequuntur; alios mercari, qui faciunt sibi amicos de mammona iniquitatis; alios furari, qui nonnulla bona occulte faciunt, quia laudem humanam vitantes, solo divino testimonio contenti sunt; alios compelli ad illud, uti pauperes necessarios, quos hic ignis paupertatis Deo dispensante purgat, ne in futuro iudicii puniat. Hujus igitur sancti patris vestigiis insistemus, et varios acquirendi cæli modos proponemus, tibi que, pie auditor, nunc proponemus.

I. Vis igitur intelligere qua ratione cælum possidere queas? Lucrare id laborando, et servando præcepta. Eo enim remittit Dominus legisperitum in hod. evangelio, proponendo ei utramque legis tabulam sed compendiose, primam in dilectione Dei, secundam in dilectione proximi. Idem adolescenti cuidam respondit, eandem quæstionem proponenti, Matthæi XIX. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.* Nemo de hoc queri potest, cum natura doceat panem, et quæcumque bona, præsertim eximia, et quæ terram transcendunt, laboribus paranda esse, ut vel a brutis animantibus discimus: ideoque nos etiam mendicantes validos illico rejicere, et ad labores amandare solemus. Bene Petrus Damiani, in serm. XIX. qui est de S. Anthimo martyre: « Delectatus, inquit, miles est, qui ante vult trium-

phare, quam arma conserere, prius triturare quam rura proscindere. Considerato nempe ordine Scripturarum, rite perpenditur nostrarum series actionum. Prius enim lex (in II. Levit. et Deuteron.) deinde iudicium (in I. Iudicum) postremo subsequitur historia regum. Nunc sane nos expedit indicta nobis divina legis mandata servare, postea compellimur ante tribunal tremendi iudicis rationem de nostris operibus reddere; postremo dabitur in illa supernæ claritatis gloria sine fine regnare. Teneat ergo ordinem qui vitare vult Babylonem. Ille nimirum vitæ suæ ordinem vivendo confundit, qui ante vult ridere quam flere; cum Salomon dicat: *Tempus flendi, et tempus ridendi.* » Sic ille. Hoc ut Hebræis, imo et nobis insinaret Deus, præcepit arcam testamenti, in qua tabulæ legis ponendæ et asservandæ essent ita fabricari, ut haberet in circuitu coronam auream, Exod. XXV. quia nimirum custodientibus legem promisit coronam vitæ, omni auro pretiosiore, juxta id Prov. VII. *¶ II. Serva mandata mea, et vives, etc.*

Neque vero hæc conditio gravis alicui videri debet, cum mandata ipsa gravia sint, ut ait S. Joan. ep. I. c. V. Nam, ut alia taceam, non tam afferunt homini laborem, quam auferunt, dum fere omnia negativa sunt, et abstinere tantum ab illicitis jubent, v. g. non adorare deos falsos, non blasphemare nomen Domini, non operari diebus festis, non occidere, non mœchari, non furari, non dicere falsum testimonium. Quæ omnia si præciperentur, laborem maximum et plane intolerabilem imponerent. Si nimirum diceretur nobis: Adorabis idola, et hoc vel illo modo coles; Deum tuum blasphemias onerabis; festos dies laboribus transiges; inimicos tuos occides; alienæ uxori insidiaberis; furibus te conjunges, et cum illis furaberis, etc. quis hujusmodi legem non tyrannicam et importabilem clamaret? Jam vero ab hoc liberant imo arcant nos mandata Dei; quod videtur voluisse, cum Osee XI. dixit: *Ero eis quasi exaltans jugum super maxillas eorum*, q. d. auferam ab eis jugum, quo premuntur alii qui dæmoni serviunt, et sub eo stimulantur ad blasphemandum, festivo tempore laborandum, occidendum, mœchandum, furandum.

II. Eme illud, si fortasse in mandatorum observatione minus feliciter progrediaris. Ita fatuis

virginibus suasere prudentes, cum de oleo ad excipiendum sponsum necessario agebatur: *Ite ad vendentes, et emite vobis.* In quæ verba S. Chrysost. hom. LXXIX. in Matth. « Qui porro vendunt? inquit. Qui pauperie premuntur. Ubi vero isti reperiuntur? In hoc solummodo vita: hic ergo, non ibi quærendi sunt. Vides quam magnas ab inopibus merces negotiemur! Si hos pellas, magnam nostræ salutis spem evertisti. » Ita Chrysostom. Similiter Hieronymus in eum locum: *Venditur hoc oleum, et multo emitur pretio, ac difficili labore conquiritur quod in eleemosynis cunctisque virtutibus et consiliis intelligimus magistrorum.* Suasit Nabuchodonosori, regi inflato et impio, Daniel hanc negotiationem, cap. IV. *Consilium meum inquit placeat tibi, et peccata tua eleemosynis redime, et iniquitates tuas misericordia pauperum, forsitan ignoscet Deus delictis tuis.* Redimere est rursus emere quod quis videlicet alteri aut vendidit, aut oppignoravit. Qui ergo cælum semel per peccatum vendidit, rursus illud emat, dando eleemosynam: quia illa hominem ad gratiam disponit, sicque modo aliquo, licet insufficienti pretio, cælum emit. Eodem redit quod S. Ambros. I. de eleemosyna et jejuniis scribit in hæc verba: « Habemus plura subsidia, quibus peccata redimamus nostra. Pecuniam habes? Redime peccatum tuum. Non vænalis es Dominus, sed tu ipse vænalis es: peccatis tuis venundatus es? Redime te operibus tuis, redime pecunia tua. » Quis hoc tam salutare medium comparandi cælum non obviis amplectatur ulnis? Neque enim hic magnis thesauris opus. Audiamus S. Augustin. in Psal. XLVI. « Quid tam vile, quid tam terrenum, inquit, quam frangere panem esurienti? Tanti valet regnum cælorum. » Audiamus S. Gregorium, hom. V. in evang. « Regnum Dei, inquit, tantum valet, quantum habes: Zacchæo dimidium substantiæ valuit, viduæ duobus minutis, valuit alteri calicem aquæ frigidæ, etc. » Audiamus Petrum Chrysolog. serm. VIII. « Da terram, et accipies cælum; da nummum et accipies regnum; da micam, et accipies totum: » et S. Chrysost. hom. IX. poenitent. « Mercatura negotiatioque cælum est: da panem, et accipe paradysum; parva da, et magna suscipe; da mortalia, et accipe immortalia. » Vis adhuc minori pretio cælum? *Summi muneris alacritatem dona; si nihil habes, collacryma*, inquit S. Greg. Nazianz. de pauperum amore. Vis adhuc minori? *Si nihil amplius habes in substantia tua, quam tibi in victu aut vestitu rationabili aut mediocri sufficiat, sola tibi potest bona voluntas sufficere*, ait S. Augustin. serm. CCXXVII. de temp. Nota est historia Troili episcopi, qui

hortatu S. Joannis archiepisc. Alexandr. triginta libras in pauperes erogavit: postea facti poenitens ac plane in febrim deficiens, recepit pecuniam ab archiepiscopo Joanne; indeque mox convaluit. Verum sequenti nocte vidit per somnium fulgidissimum in cælo palatium cum ea inscriptione: *Mansio æterna Troili episcopi*, quam tamen regius cubicularius mox delere, ejusque loco scribere jussus est: *Mansio æterna Joannis archiepiscopi, empta libris triginta.* Correctus hac visione Troilus didicit deinceps largioribus eleemosynis emere sibi cælum.

III. Si neque emere potes, furare cælum. Sunt enim et qui furantur cælum occultis virtutum operibus; quorum typum fuisse hæmorrhossam illam, quæ clam retro accedens, tetigit fimbriam Christi, et quasi suffurata est suam sanitatem, ait S. Bernardus, in sententiis. Simili enim modo sublegunt quasi cælum, qui recta pietate Christum attingunt; qualis in primis Naamañ ille, IV. Reg. V. qui cum regem suum comitari ad idolorum fana cogeret, excogitavit rationem sese abstrahendi ab idolorum cultu ad cultum Dei veri, exportando secum terram ex Judæa, unde sibi vel altare erigeret, vel simile monumentum, ut etiam idololatrias non nisi Deum Israel coleret. Præclarissimo etiam stratagemate cælum furatus est, delitescens velut mendicus in paterna domo ditissima et splendidissima S. Alexius confessor. S. Gregorius Litagiensis episcopus, qui: « Occulte subcineribus panes ex hordeo in mensa aliis triticeis supponebat, quos frangens egenis erogabat; ipse vero clam hordeaceos, nemine intelligente, comedebat; similiter et de vino faciens. Nam dum aquam ei pincerna porrigeret, ad dissimulandum, aquam aliam desuper effundebat, tale vitrum eligens, quod claritatem aquæ obtegeret. » Ita Sanctus Gregorius Turonensis, libro de vita patrum, capite VII. Non absimilis huic Sanctus Radbodus episcopus Ultrajectensis; qui cum vini potum et carni esum ignoraret, dabat operam, ne unquam ea abstinentia ad aliorum notitiam perveniret. Qua in re Dominus etiam servo suo mirabiliter opitulatus fuisse insigni miraculo perhibetur. Cum enim quidam signis minime dubiis assequeretur, perpetuo aquæ potu eum uti, die quodam inter convivandum poculum ejus ex onyche factum et auro congruentur ornatum mirabili dexteritate arripuit, e quo dum biberet, episcopo suspirante et ingemiscente, aquam repente in vinum mutatum fuisse constat; Domino id pro sua misericordia operante, ne famuli ipsius virtus in publicum prolata periclitaretur. Ita in ejus vita Lipel. et Sur. 29. no-

vemb. Idem in vestitu lusere sancti alii, uti S. Eligius episcopus Noviomensis, qui adhuc in sæculari et aulica vita apud Dagobertum Franciæ regem constitutus, more aliorum aulicorum, ut vitaret ostentationem auro gemmisque ornatus incedebat, intrinsecus vero aspero indutus cilicio carnem macerabat, ut in vita ejus Beatus Audoenus, apud Surium 1. decemb. Sancta quoque Editha Edgari Anglorum regis filia cilicium asperrimum, quo diu noctuque carnem divexabat, nifidis extrinsecus occultabat vestibus. Cumque die quodam Beatus Ethelwoldus ornatiori eam habitu ingredi vidisset, dixit ad eam: *Non his, filia mea, indumentis, itur ad Christi thalamum; nec externo cultu corporis delectatur sponsus celestis.* Illa interni conscia habitatoris, ita respondit: « Crede mihi, pater, nequaquam deterior mens, Deo aspirante, sub hoc tegmine deget, quam sub pelle caprina. Habeo Dominum meum, qui non tam vestem quam mentem attendit, » apud Laur. Sur. 16. septemb.

Alii in conjugio conservarunt virginitatem ex mutuo consensu, amore Dei et virtutis illius, idque coram mundo solerter occultarunt, uti S. Henricus imperator, S. Eduardus Angliæ rex, S. Emericus Hungariæ rex, Elzearius comes Ariani, aliique multi.

IV. Si furari displicet, rape id per vim. Sancta et laudabilis est hæc rapina, de qua Dominus Matthæi XI. *Regnum cælorum vim patitur, et violenti rapiunt illud.* Fures cum pudore aliquo clanculum res alienas carpunt: prædones vero cum violentia, sine pudore et omni respectu. Tales ergo sunt, qui maximo ardore perruptis omnibus impedimentis, spretoque respectu humano, salutem suam quaerunt, quomodo Sanctus Stephanus invasit synagogam ejusque concilium, verbo Dei non attendens: *Dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus:* et rursus quando contra eos palam exclamavit: *Video caelos apertos, et Filium hominis stantem a dextris Dei,* Actorum VII. Nicodemus ille, qui primo quidem nocte venerat ad Christum, et occulte in eum credidit, tum quidem velut fur ambierat regnum cælorum. Verum ubi vidit Christum per summam injuriam actum in crucem in eaque mortuum, ex fure evasit prædo, et venit cum myrrha et aloe, ut honorifica cæremonia Christum sepeliret; hoc ipso se amicum et discipulum ejus profitens, Judæorumque scelus redarguens, Joannis XIX. Qui et propterea a Judæis in exilium pulsus et anathemate percussus est, ut testatur Lucianus, in epistola de inventione Sancti Stephani. Quin et ille pœni-

tens in cruce latro, hujusmodi prædo cæll factus est, quando manifeste Christum innocentem pronuntiavit; e quando Judæorum magistratum coram non obscure sceleris redarguit, dicens alteri latroni: *Neque tu times Deum?* Quasi dicat: Sicut isti iudices iniqui et insultatores Christi. Fuerat etiam ut supra diximus, Sanctus Eligius, fur regni cælorum, quando ob metum ostentationis, sub splendido vestitu cilicium gestavit; verum: « Postquam solidiora pietatis jecit fundamenta, inquit in ejus vita Lipelous, quæ humani favoris turbinem non extimescebant: illico cuncta ornamenta egenis distribuit, vilibusque deinde vestimentis contactus, et funiculo cinctus, pauperum domicilia benefactor lustrabat, etc. » Isti ergo proprie sunt raptores cæli, qui posthabito omni metu et contemptu hominumque obtrectationibus, Christum sequuntur, quales erant imprimis, qui tyrannos redarguere, idola, eorumque fana evertere; adeoque se martyrio exponere nihil dubitarunt; deinde, qui per calcatum patrem et matrem, spretoque mundo sibi obsistente ad crucis vexillum in religiosum statum penetrarunt. Quinetiam quicumque depravatam suam naturam corrigunt et seipsos oppugnando superant, dici tales cæli raptores possunt; perrumpunt enim gravia salutis obstacula non nisi magna vi adhibita; qualis ille anachoretæ discipulus, qui visus a magistro suo est una nocte septem in celo coronas meruisse, eo quod septies cogitationibus suis et cupiditati somni viriliter restitisset, apud Rosweid. in vitis patrum, libro V. libello VII. Eo pertinet quod Sanctus Ambrosius, sermone XV. scribit: « Aggredimur Christum non ferro, non fuste, non saxo, sed mansuetudine, bonis operibus, castitate. Hæc sunt, arma fidei nostræ, quibus in congressione certamus. Ut autem his armis uti in vi inferenda possimus, ante corporibus nostris vim quodammodo faciamus, expugnemus membrorum vitia, ut virtutum præmia consequamur. »

V. Quod si demum et hoc difficile tibi patet, vade et mendica per assiduam et perseverantem orationem. Posse enim et oratione tali expugnari cælum, docet non obscure Dominus in parabola viduæ, quæ vindicari volens de adversario suo, tandem institit apud judicem, donec audita fuerit et causam obtinuerit, Luc. XVIII. Præmiserat Christus sermonem de tremendo suo adventu, ad quem ut comparatissimus, adeoque regnum cælorum acquiramus, subjungit eam parabolam, qua ostendit posse obtineri ab ipso quidquid volumus, adeoque etiam securitatem in illo die, si instemus ora-

CONCIO II.

INCITAMENTA AD DILIGENDUM DEUM.

I. Diligendus quia Deus, seu omne bonum. — II. Quia tuus. — III. Quia Dominus.

THEMA.

Diliges Dominum Deum tuum. Luc. X.

Refert Joannes junior ordinis Sancti Dominici in scala cæli studiosum quemdam e longinquo Parisios venisse, ut studeret theologiæ. Ingressus scholam, primo statim die audit hanc perfectionem: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, etc.* Eaque audita, mox consurgit ac recedit. Interrogatus a magistro cur abiret, quid ei displicuisset: *Nihil, inquam, sed antequam plus audiam, istud volo opere complere:* et sic religionem intravit. Nimirum præceptum hoc tam excellens ac sublime est, ut si vel solum impleatur, perfectum hominem ostendat. Jam vero audimus et nos, auditores, prælectionem istam a cælesti magistro nostro traditam, velut omnibus necessariam. Quid igitur faciemus nos? Ad monasteriane curremus, ut hanc opere impleamus? At hoc plerisque impossibile est. Cum cæteris ergo discipulis in schola hac manebimus, et verba nobis prælecta pro viribus expendemus ut diligere Deum discamus.

I. Ergo diligendus, quia Deus, id est, omne bonum. Unde Græcis, Arcadibus, ethnicis: *Pan,* id est, *omne* de quo Eccles. XLIII. dicitur: *Consummatio sermonum, ipse est omne,* juxta Græcum textum: et Exod. XXXIII. Moysi cupienti videre Deum, dicitur: *Ego ostendam omne bonum tibi,* id est, meipsum. Ergo quidquid boni desideramus, in Deo eminenter, longeque præstantius invenitur, quam in creaturis. Quis hoc bonum non amet? Et quis non magis oceanum bonorum in Deo, quam in homine venam?

Ergo, primo, amamus homines sapientia præcellentes; quis vero sapientior est Deo? Quis non amaret hominem qui sciret omnes artes mechanicas perfectissime? Quanti æstimaretur a principibus? Quis non illum qui omnes linguas calleret? Illum, qui omnis generis instrumenta perfectissime sciret? Illum, qui omnes artes liberales et scientias? Illum, qui omnia nosset consilia, imo præterita, præsentia, futura judicaret? Qui cum Salomone sciret omnes naturas herbarum, animalium, lapidum, etc. a cedro ad hyssopum? Sane regina Saba ad sapientiam Salomonis audiendam tanto itinere profecta, beatos pronuntiabat, qui coram Salomone starent. Atque a Deo hæc omnia, et in

tioni. Nam si judex ille iniquus, qui nec Deum nec homines timuit, viduam importunis precibus opem ejus implorantem, tandem audit, quanto magis audiet nos Deus justissimus et ad opitulandum promptissimus? *Quid conjectandum est,* inquit Sanctus Chrysostomus, lib. II. de orando Deum, *de benigno Deo, si judicem crudelem adeo mansuetum, reddidit vidua supplicans?* Petitio autem illa vindictæ de adversario, nihil aliud significat nisi petitionem illam, qua postulant sancti omnes vindicari de inimicis in die judicii, juxta id Apocal. cap. VI. *Usquequo non judicas et non vindicas sanguinem nostrum?* Aliud ergo non est nisi postulatio regni cælorum, quod expugnari precibus posse, docuit idem Dominus noster alia parabola ejusdem suscitantis instantia precum suarum amicum e somno et cubili suo, et impetrantis panes, quotquot habuit necessarios, Luc. XI. Amicus ille dormiens in cubili suo una cum pueris suis, inclusis, alius non est nisi Deus in cæli conclavi cum sanctis suis summa in quiete degens. Potuit ergo importuna oratio clausum cubilis ostium tandem reserare, et panes desideratos ab amico impetrare: poterit etiam oratio deprecantis assidua cæli fores aperire. Hinc Sanctus Augustinus, serm. CCXXVI. de temp. ait: *Oratio justis clavis est cæli: ascendit precatio, et descendit Dei miseratio.* Consentit Divus Chrysostomus, homilia II. de Elia: « Clavis, inquit, cæli fit sermo Halie sanctissimi. Jubet enim et claudit cælum, orat postmodum, et aperitur; ut sanctorum meritum monstraretur non solum in terris posse, quod voluit, sed et in cælestibus posse impetrare quodcumque petierit. » Hac clave cælum sibi reseravit Anna illa prophetissa, quæ: *Non discedebat de templo, jejuniis et obsecrationibus serviens die ac nocte,* Luc. II. Reseravit etiam sibi Theodoricus de Rulant. qui Jerosolymam profectus, ante sepulcrum Domini sic precatus est: *Domine Jesu Christe, qui omnia nosti, si non habeo emendare a vitiis pristinis; non me permittas redire in terram meam, sed ut hic mihi mori liceat, concede.* Oravit et impetravit Cæsar. lib. XI. histor. capite XXIV. Reseravit sibi nobilis ille, qui ob vitam rapinis assuetam tandem captus, et a Friderico imp. suspendio adjudicatus, vivens in patibulo pependit, donec a transeunte quodam milite depositus, et s. eucharistia communitus fuit; et hoc ob certum orationum penum, quod SS. Trinitati, corpori Christi et quinque Christi vulneribus, et angelo custodi quotidie persolvere consueverat, teste eodem, lib. IX. cap. XLVI.

ipso infinitum excellentius sunt. Vide miram orbis et cœlorum sapientissimam structuram. Nonne cœli enarrant gloriam Dei? Psalm. XVIII. Quomodo? Interrogat super id Chrysostomus: « Hoc, inquit, faciunt, cum nobis suam magnitudinem, situm, formam et constantiam ostendunt: qua tot millibus annorum non inveterati sunt, neque tam multis motibus atque continuis attriti, neque suum cursum quidquam immutarunt. » Quis a nativitate cæcus, si repente cerneret et aspiceret cœlum nocte serena, non exclamaret? Quæ hæc domus tam ampla et speciosa? Quis illius artifex? Qui incolæ? etc. Vide quæ sub cœlo. Quanta hominum, nationum, linguarum, morum, vultuum in eadem specie diversitas! Quanta animalium, plantarum, lapidum, metallorum! Quantæ arborum differentię? Et tamen nullæ reperiuntur, quæ in diversis speciebus habeant similia folia vel fructus, magnitudine, odore, colore, figura. Similiter in floribus, herbis, lapidibus, frugibus, vinis, etc. Denique, in minoribus rebus major apparet Dei sapientia, quam in majoribus, secundum Augustinum, Plinius, lib. XI. cap. II. inter animalia miratur culicem magis quam elephantem, in eo tot sensuum organa, rostrum porosum, avidam sanguinis et potissimum humani sitim, etc.

Secundo, amamus homines bonos, munificos, benignos; et quis melior Deo? Cum enim solus sibi sufficeret et nullius egeret, voluit bonitatem suam effundere etiam in creaturas, suas divitias eis communicando; cumque tanta sit creaturarum multitudo, nullius obliviscitur, sed omnibus assignat necessaria. Primo, ad victum et sustentationem, ut passim inveniant cibum, aut certe quærant certis temporibus in alienis terris, vim discernendi salubrem ab insalubri, ne lædantur: secundo, miras industrias morbos suos curandi: tertio, contra hostes se muniendi ac defendendi, eosdemque agnoscendi: quarto, nidos mira structura et solertia ædificandi et quærendi: quinto, proles suas defendendi magna animositate et amore alendi: denique, prævidendi tempestates imminentes, ut sibi providere in futurum de victu necessario queant, præsentendi hiemem, et pro ea sibi annonam congregandi in æstate. Et hanc curam habet non solum de maximis, sed etiam de minimis, ita ut unus passer non cadat in terram sine ejus voluntate. Certe nemo nostrum putat sua interesse, num passer, muscæ, et formicæ habeant necessaria ad vitam, sani sint an ægri. At Deo de his cura est. Ad hæc non providit solum illis, ut habeant esse quaecumque, sed etiam ut bea-

tum esse, felix et jucundum, juxta id Psalm. CLXIV. *Implet omne animal benedictione.* Sic videmus lusciniæ, cardueles, acanthides delectare cantu non solum nos, sed etiam seipsas, ac tantum non exhaurire, cum voluptas, teste philosopho, perficiat opus: vitulos, agnos, hædos in gregibus currere, saltare, arietate, certare, coludere secum catulos et cum felibus, aves volatu certare, pisces exultare, etc. Nimirum, sicut Deus non solum habet esse sed etiam jucundum et beatum esse, sic voluit etiam creaturis suo modo et pro dignitate singulis dare jucundum esse. Et hæc omnia largitur creaturis irrationalibus, quæ nequeunt eas dotes æstimare, neque Deo gratias agere: quanta ista bonitas! Unde amplius colligimus, quanto præstantiora bona sint ea, quæ in hominem contulit in hac vita et conferet in futura; quandoquidem is ea agnoscere, æstimare et Deo laudes canere potest, si talia contulit iis, quæ hoc nequaquam possunt. « Cur autem hæc omnia (inquit B. Petrus Damiani cardinalis, epistola XIII. ad s. r. e. cardinales, l. II. epist.) potens rerum conditor naturis animalium indidit, nisi quia diversæ per hæc homini vitæ hujus emolumenta providit? Ut dum creaturæ quæ subjectæ sunt homini, sese invicem fulciunt, ad utilitatem ejus, qui prælatus est omnibus omnia referantur: et dum in operibus suis bonitatem miratur opificis, ipse non hæreat conditus, sed aspectum desideret conditoris. »

Tertio, amare etiam solemus homines forma et decore præstantes: et quid pulchrius Deo, qui in infinitum excedit omnem pulchritudinem et a quo omnis pulchritudo, et respectu ejus, omnia formosa non sunt, nisi unus radius lucis respectu totius solis, una linea pictoris respectu totius picturæ? Si ergo miramur et amamus pulchritudinem gemmarum, florum, frugum, volucrum, palatiorum, hortorum, hominum, etc. sciamus hæc omnia esse nihil respectu Dei. Et si omnis omnium creaturarum decor in unum congestus esset, qualis hæc pulchritudo foret? Neutiquam tamen adhuc cum divina vel in minimo comparanda esset. Ad hæc tanta est in Deo, ut solus ejus aspectus, faciat beatos cœli cives, ita ut nihil amplius desiderent; imo beatum faciat ipsum Deum, cujus beatitudo consistit in contemplatione, non alterius (hic enim nobilior ipso foret) sed sui ipsius; ex ipsius Aristotelis sententia. Quare si pulchritudinem veram quærimus, in creaturis non inveniemus, sed illæ velut pauperes dabunt nobis obolum tantum et remittent nos ad divitem Deum.

De B. Christiana, virgine mirabili, scribit Tho-

mas Cantipratanus, in ejus vita et hoc ejus factum. Comite Loensi Ludovico, cui perspecta erat virginis sanctitas: « Die quodam in ecclesiæ atrio procumbente, cum esset multo stipatus milite, Christiana superveniens, clam ad ejus caput se inclinavit. Illo vero et corporis et oculos suos tollente, mira oris gratia dixit: O quam speciosus es Domine. Id autem milites audientes, dicebant comiti: Audisne, domine, ut te hæc sancta prædicet? At comes: Ego vero, inquit, novi quem laudet illa. Non me, sed cœlestem et immortalem Dominum laudat, a quo pulchritudo omnis proficiscitur, quique est omnium pulcherrimus. Tum illa: Verum, inquit, dixisti. Tu igitur quare illum non diligis? » Quod hæc virgo comiti, nobis etiam dixit. Si enim, sicut ipsa ratio dictat, Deus est omnium pulcherrimus, quia fons omnis pulchritudinis; cur eum non diligimus?

II. Quia tuus, hoc est, quia omnia propter te fecit, et in tuum obsequium, quasi ipse tibi serviens. Cui enim putatis creatam hanc mundi machinam? Non sane Deo; quia solus sibi sufficit et in se habitat, et ab æterno ea caruit: non angelis, quia cum sint spiritus, corporali oblectamento at domicilio non egent: multo minus bestiis, quia cum creatore non agnoscant, non possent ei gratias agere, neque dignæ sunt tam splendida et tam nobili domo. Plurima etiam eis nihil prosunt. Hominum igitur gratia omnia sunt condita, quæcumque in mundo sunt. Tametsi enim homo non vescitur herbis, vescuntur tamen boves et oves, quorum lacte et carnibus nutriuntur homines, vestiuntur pellibus, etc. Et licet non edant vermiculos et muscas, eas tamen edunt volucres, quibus aluntur homines. Quemadmodum multi famuli in eadem domo, etsi diversa curent, et alteri subordinatus servat, omnes tamen uni demum domino laborant et serviunt: ita creaturæ serviunt homini pulcherrimo concentu. Exempli gratia: Homo indiget carne brutorum, ut nutriatur; pellibus et coriis ut vestiatur et calceetur; viribus, ut terram coeat, pondera vehat: bruta vero animalia pascuis et herbis egent, quibus nutriantur: hæc pluviis, hæc vaporibus a terra per solem attractis: hi ventis, ut de mari in terram ferantur et disperantur. Venti e terræ exhalationibus prodire debent. Has extrahere sol debet. Sol eget angelo, qui eum gyret; angelus Deo, qui eum dirigat et contineat in officio. Deus ergo et angeli et cœli et elementa et corpora omnia nobis serviunt et laborant. Quomodo non amare principem illum, qui in suo palatio una cum tota aula sua tibi inserviret, mensam sterneret, lectum para-

IV. PARS ÆSTIVALIS.

ret, cibos apponeret, aquam effunderet, edentem recrearet musica, conversatione, floribus, etc. Jam Deus has creaturas condidit, alias ad hominem nutriendum: tot genera carniarum, ferarum, volucrum, piscium, frugum, herbarum: tot genera vinorum, liquorum, acidularum: alias ad vestiendum, tot genera pellium: alias ad sanandum, tot genera herbarum, radicum: alias ad recreandum et oblectandum, primo, oculos, flores, animalia, aves, præsertim silvas, campos, sidera: secundo, ad recreandas aures, avium cantus, voces hominum, instrumenta musica: tertio, naribus, moschum, flores, thus, balsamum, etc. quarto, gestui, præter cibos tot condimenta, aromata, salem, saccharum, mel: quinto, tactui, sericum, telas bombycinas, etc. alias ad sublevandum, ut jumenta: alias ab castigandum, ut muscas, culices, pulices: omnes fere ad docendum: denique, angelos ipsos ad nos custodiendum. Atque, ut hæc nobis apta et convenientia essent, revidit opus suum post creationem. Quis ergo non amet talem Dominum, pro nobis adeo sollicitum? Dicite enim: Si cui filio sponso parasset pater munitissimam arcem, splendidam domum, omni suppellectili instructam, stabula plena pecorum et equorum, servos ad omnia obsequia, quin et canes et falcones pro oblectatione, pharmacopolium refertissimum, vestiarium, horrea cellariaque plena, et hæc omnia plenario jure traderet filio, solum ea lege ut patrem suum diligeret: quomodo filius hic non diligere patrem posset? Atqui hoc nobis Deus fecit.

III. Quia Dominus et continuus benefactor tuus. Sustentat enim et conservat te continuo, operans una cum creaturis, quas tibi subjecit, non secus ac nutrix infantem pascens, ducens, vestiens, in lectum deponens, custodiens: non secus ac arbor folia, flores et fructus conservans, sustentans ac maturans: ita ut alias subito pereundum nobis esset, nec vel unum spiritum attrahere possemus. Ad hæc, ne fastidium nobis creet, varios successive cibos subministrat; jam has, jam alias carnes pro varietate temporum; nunc cervinam, nunc aprugnam; nunc hos, nunc illos fructus. At, ne laboribus opprimamur, et ut simul suaviter occupemur, nunc messem siliginis post tritici, post hordei et avenæ: post fruges arborum, hinc vindemiam, denique olivationem paravit; ut semper et occupemur et habeamus nutrimentum. Quis autem non amet illum patremfamilias, qui suis servis dat escam semper in tempore suo mane, meridie, vespere? Aliam et aliam? Denique, quod omnem admirationem superat, dat etiam